



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

De septimo gradu Humilitatis. C. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

rùm desiderare ut illa mala opinio, quæ est apud aliquos, etiam ad plures, qui eam nondum habent, extendatur, ut ita apud plures vilior fiat, & contempnatur, magis heroicum est. Hoc omnes verè humiles habent. Hoc ex iisdem exemplis, quæ supra attulimus, apparuit illos desiderasse.

c. 3. vita.

S. Franciscus mira exempla huius humilitatis edidit, quæ in eius Vita leguntur, & in vita S. Philippi Nerij. Bèné dicebat B. Laurentius Iustinianus: *Non est tanta virtutis contemnerè honores, quàm contemptum appetere. Plus est enim, ut male affici negligas, quàm ut bene affici non cupias. Ceterùm illud summa perfectionis, ut male affici desideres.*

CAPVT DVODECIMVM.

De sexto Gradu Humilitatis.

82. **G**Audere de omnibus iis, quæ nos humiliant, & hominibus contemptibiles reddunt, uti sunt opprobria, contumelia, irrisiones, persecutiones, infamia; & abhorere ab iis omnibus per quæ commendabiles reddamur, & idèd fugere placentia, omne quod abiectum est suscipere, nil humiliarium timere, & dolere de iis quæ superbia appetit, si nobis contingant. Hæc B. Iustinianus. Vide Cass. Coll. 18. c. 11. ni S. Bernardus serm 16. in Cant. *Verus humilia, vili vult reputari, non humilis predicari: Gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus; quòd laudes contemnit.*

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De septimo Gradu Humilitatis.

83. **S**eptimus humilitatis gradus est, postquam sex præteritos gradus aliquis est assecutus, verè & ex corde existimare omnia Dei dona quæ habet, & quæ de nouo percipit tam pro se quàm pro aliis, per aliquam sui cooperationem & ministerium, non esse sibi, nec per se aliis à Deo concessa, ob suas preces vel merita, & ob sui respectum, sed ex merà Dei beneuolentiâ, gratiâ, misericordiâ, & liberalitate. Proinde qui hunc ascendit gradum, nunquam se putat quicquam à Deo impetrasse, nec exaudium esse, sed quæcunque Deus concessit ei, vel aliis, post suas preces pro illâ re fufas, etiamsi videat subsecutum effectum, quem desiderabat, reputat illum non tanquam effectum suarum precum aut me-

ritorum; sed tanquam gratuitum donum à Deo collatum sine vilo respectu ad eius preces & merita, ex merà liberalitate Dei, eò modo, quo Angelis Deus contulit primam gratiam; & Adami primam innocentiam, sine respectu præcedentium meritorum & precum; quæ in iis ante primam gratiam esse non potuerunt.

Diæes: Quomodo ergo David sepe ait in Psalmis, se à Deo exaudium esse, & viri Sancti orant, ut Deus illos exaudiat, & tamen erant humillimi, & sine præiudicio humilitatis id de se sentiebant?

Respondeo primò; Davidem in Psalmis merèd id dixisse, quia id ei Deus reuelauit, uti & Psalmos omnes quos scripsit. Et hoc modo alij iusti dicere possent se exauditos à Deo, si id dimittis ferent, quod cum non ferant, securus est & humilitati conformius, nil suis precibus, quasi per eas impetratum adscribere.

Respondeo secundò; Certum est & iustos & peccatores à Deo in multis exaudiri, & ob preces eorum, Deo inspirante & adiuuante fufas, multa iis concedi. Sed cum id non ferant certò, non debent precibus suis quicquam, quasi per eas impetratum, attribuerè, sed ex instinctu humiliaris, totum Deo totaliter adscribere, quasi collatum ab eo sine vilo precum nostrarum & meritorum intuitu ac respectu, ex merà beneuolentiâ & purâ gratiâ ac solâ. Hoc sensu dixit humilis S. Iob. c. 9. 16. *Cum inuocantem exaudierit me, non credo quòd audiverit vocem meam.* Simili modo, etiamsi certum sit, multos esse in Ecclesiâ Dei iustos, Deo gratos, gratiam eius habentes, multa opera meritoria facere, in Dei gratiâ proficere, tamen hoc illi de se non dicunt ex humilitate, & magni quoque Sancti dicunt se nil boni vnquam fecisse & facere, nil meruisse, nil mereri. Hoc spiritu humilis Paulus de se dixit Rom. 7. *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne meâ, bonum.* Et tamen etiam caro eius non tantum anima erat plena Deo summo bono, & aliis gratis bonis multiplicibus, ob quas dixit de se alibi: *Viuo iam non ego, vivit autem in me Christus, qui solus bonus est, ut est in Euangelio.* Hoc igitur modo etiam Dei serui humiles, non agnoscunt se exaudiri, se impetrare. Et quòd aliquis Deo vicinior est virtutum excellentiâ, eò magis agnoscit suum nihil, suas imperfectiones; ut docent sancti Patres.

Ne hos vltimos gradus fufius explicarem, morbus impediuit, & aliæ occupationes obstituerunt.